



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXV. In Domin. V. Post Pascha. Si quid petieritis Patrem in nomine meo,
dabit vobis. Ioann. 16. Arg. Orator cœlestis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)



CONCIO XXIV.

IN DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis
Ioan. 16.

ARGUMENTUM.

Orator cœlestis.

I. **M**axima inter in-
dulta, à summo
quâ militantis,
quâ triumphan-
tis Ecclesiæ Pon-
tificis in jubilaris
Dedicationis tē-
pli Solymeis benignissimè Salomoni
concessa, illud antesignanum erat; ut
ad animi ipsius arbitrium eidem ob-
venirent, quæcunque animo conce-
pisset. A. *Postula, quod vis, ut dem tibi.*
Etenim sive caducum quidpiam, &
transitorium, sive perenne, æternum,
que efflagitaveris, certo certius te ob-
tenturum confidas. *Postula quod vis ut
dem tibi.* Excellens revera favor, quo
solo nixus, incomprehensam cœlo-

rum beatitatem, immortalē gloriam
Deum ipsum in possessionem accipere
valuisset; si animus, mensque sanior
non defuisset.

Non absimile, ut alios taceam, con-
cessum D. Catharinæ Vastnenis per-
hibent ipsiusmet fasti, quando oblata
eidem à Domino schedula virginea,
quatenus in ea, pro re placita suppli-
cem exararet libellum; certa cum stipu-
latione obtinendi, quæcunque popo-
scisset. O si, inquit pia quæpiam anima,
hæc mihi indulgentia, gratiaque eve-
niret, quàm me felicem, quàm beatam
ducerem! quàm certa spei optimæ, se-
curaque quiescerem! At bono esto ani-
mo, quæcunque his flammis inardescis,
noverisque id ipsum tibi dispensa-

Paral. 1.

In vita.

KLIII

tum esse diploma gratiæ. Non enim fallit testis fidelis, ac verax dum dicit: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non inscripsit certam lammam, sed nudam quasi papyrum contulit, cui quæcunque committeremus, ratum haberet. Nec ait: si hoc vel illud petieritis, sed *si quid*, ac si in omnibus bonis se obligaret. Insuper adhibuit quatuor Cancellarios, qui ipsum in acta referrent, seque subscriberent, sicque in omni modo, ac forma juris nobis contulit hoc privilegium.

Cæterum non dubitandum, quod non unus contra id protestetur, dicens: Ego petii, ne moreretur filius meus, & mortuus est; ego petii, beneficium, nec obtinui; ego filium, & video quod preces meæ omnino vel in spumas, vel in moras abiverint longissimas. Quid causæ? Judico nihil aliud, quàm quod orationem non ritè formemus; ut enim assequamur quod petimus, appositè pieque componenda est. Qua methodo.

Partitio.

II. Oratio Rhetorica, mundana, seu politica passim in quatuor membra præcipua dividitur, nempe in Exordium, Propositionem, Confirmationem, Conclusionem. Quocunque enim ex his præciso mutila, mancaque evadit. Et Orator cælestis aptè concinneque peroraturus coram divina Majestate, ad hanc normam orationem suam efformare, in præsentis Evangelii lectione admonetur.

§ I.

Prima pars Orationis sacræ Exordium.

III. Primum, quod à Rhetoribus mundanis ad orationem exigitur est Exordium; ad accessum formandum, captandamque benevolentiam Auditorum, ab iis exegitatum. Ingrata enim, pudibundaque incederet oratio, si nuda, crassaque sese ingereret, simpliciterque exponeret, quod intendit.

Ad ipsum formandum, Oratores suos cælestes manducit divinæ eloquentiæ Magister Christus, quando in citato textu Patrem monet orandum: *Si quid petieritis Patrem.*

Liquidum probè in capite orationis Dominicæ idem vocabulum præfixum. *Pater noster.* Cur quæso non invocamus Numen optimum, Deus noster, Rex noster, Princeps noster, Domine Deus exercituum, aut similibus? Causam ex Patre Augustissimo accipite: *Cum in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus, quem deprecamur, per laudem illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, & hoc in principio orationis poni solet, in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere sufficit, nisi Pater qui es cælis.* Ita nempe optime apud cælestem Patrem captatur benevolentia, si ea reverentia, fiduciaque accedatur, quâ parentes corporales à filiis ingenuis.

Utrumque istud evincit vocabulum Patris, nec ut talis colitur, nisi cum reverentia, fiduciaque conveniatur.

*S. Aug. l. 2.
de ser. dom.
in monte c. 8*

Mal. 1. v. 6.

De reverentia loquitur ipse apud Malachiam: *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum, si ergo Pater ego sum, ubi est timor meus? Si filius iure naturæ humano, divinoque obstringitur honorare, ac revereri parentes; & vos me Deum vestrum tanquam Patrem venerari, colereque debetis. Non enim probæ indolis filius est qui Patri pietatis subtrahit affectum, denegat cultum, evacuat reverentiam, sed is qui submississima veneratione inclinatur corpus, in se cecidit humeros, genuaque incurvat, imitatur filium illius consubstantialem, qui in oratione sua prociatis in faciem suam.*

Matth. 26. v. 39.

Theod. in v. 85.

Hoc Exordium deprecationis humillima mentis est, ait Theodoretus, Fatigentur Rhetoricæ artis Professores in tradendis exordii præceptis, quibus plandius sese oratio in animum iudicis insinuet illumque flectat: à præstantissimis cælestis eloquentiæ Oratoribus nihil aptius ad conciliandam Numinis benevolentiam inventum, quam reverentia, veneratioque filialis. Hoc exordium deprecationis humillima mentis est.

Homer. odys. 11. Dion. Halic. Philo.

Hoc artificio usi sunt Ethnici apud Iudices plerosque, quum venerationis ergo, commiserationisque conciliandæ teste Homero, aliisque, humi se prosternerant, inque pulvere, ac cinere jacebant. Hoc artificio utuntur alii, apud Summates suos, quidpiam exoraturi. Hoc imprimis SS. Dei, filii Dei, Patrem in vota vocaturi. Indignum enim arbitrantur, ut rem petituri terrenam ab homine terreno filii te-

nebrarum profundius, majoreque reverentia sese demittant; quam filii lucis remissionem peccatorum, æternaque bona à Patre largitore donorum omnium exoraturi. Indignum, ut videant Filium Dei consubstantialem Patri, pro reo supplicentem, ponere in pulvere os suum, & ipsimet rei stent erecti. Indignum, ut quod mente versant, id ipsum exterius moribus, gestibusque non contestentur.

IV. Ad fiduciam autem ex eodem titulo concipiendam animat nos ipse Filius Dei, in exhortatione sua de oratione habita, dum dicit: *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut pisces, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid scorpionem porriget illi?* Et subinfert ex hoc antecedente consequens istud: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se. Si à Patre carnali petentes quidpiam non timetis repullam, quanto minus si à Patre cælesti aliquid postulaveritis illam extimescere par est? Si illi, cum sint malevoli, norunt cumulare bonis filios suos; quanto magis iste, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos divitias bonitatis suæ exoratus diffundet? Si vel hostes suos nutrit, fovetque, quanto auctius provisorus est diligentibus se. Si vos cum sitis mali, &c. Quid non dabit filiis petentibus, loquitur sanctus Augustinus, cum hoc ipsum an-*

Ad orationem cum fiducia accedendum Luc. 11. v. 11, 12.

s. Aug. 1. 2. de ser. Dom.
 te dederit, ut essent filii? Cum homines dicunt DEO, Pater noster, est quadam impetrandi presuppositio. Ipsa ad Patrem fiducia piè sibi obsequentem fore præsumit.

Psal. 124. S. Cyp. Ep. ad Donatum Dei misericordia nostra fiducia conformatur
 Hæc pars Exordii tam necessaria, ut sanctus Cyprianus adstuat, non modo deprecatorio, sed enuntiatorio intelligendum Psalten dum dicit: *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te.* q. d. Tua Domine misericordia operabitur in nobis, juxta mensuram spei, quâ in te confidimus. Si igitur hæc modica fuerit, erit item modica misericordia, quod si multa, magnaque, talis & tua futura cognoscitur.

V. Videmus hoc accuratè completum in mirabilioribus Assertoris nostri operibus; cujus tanto in quibusdam misericordia operabatur efficacius; quanto in illis erat fiducia constantior; nec illa, nec ista sese latius extendente. Tantum impetravit Princeps Synagogæ Capharnaiticæ, supplicans, quatenus domum suam subire, filiamque emortuam suscitare dignaretur; quantum confidit. Credebat enim, sperabatque firmiter, si manum suam defunctæ imposuisset, vitæ illico redonandam, & ita obtinuit. Tantum item mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, quantum se fiducia ipsius extendebat. Credebat, confidebatque, si vel simbriam vestimenti ipsius attrectasset, fo-

te ut à plaga prorsus curaretur; & secundum fidem ipsius operatus est Christus; tetigit, & sanata est. Tantam assecutus in eadem civitate famatissimus Centurio, quantum fiducia ipsum animante concepit. Credidit enim fidebatque, quod solâ voluntate, ac imperio conferre Dominus poterat servo infirmo sanitatem, & Christus eandem contulit, dicendo duntaxat: *Vade & sicut credidisti, fiat tibi.* Nempe: Decempeda fiduciæ, est misericordiæ mensura; eidemque commensuratur in omnibus. *Fiat misericordiæ tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

VI. Langueat, deficiat, evanescat fiducia, deficiet itidem evacuabiturque misericordia.

Postulabatur à suis concivibus Nazarethans ad beneficia, operaque mirabiliora in bonum illorum patranda, & tamen, quantumvis animus ostenderet promptissimum, desideriumque ardens, concedendi in vota ipsorum, nullum alicujus edidit considerationis, aut momenti. Cujus causam subdidit Evangelista: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, propter incredulitatem eorum.* Non poterat, ait, non quod absolutè non poterat, siquidem omnia quæcunque voluit fecit; sed secundum legem, quam communiter sequebatur; quæ pro fundamento operum ejus, vivam supponebat fidem, fiducia, speque sociatam non potuit.

Christus cur nullum in patria paravit prodigium

Matth. 8. v. 8.

Quod si itaque hac super re quispiam apud me conquereretur, frustra-
tasque suas identidem preces jactaret,
eandem ego causam obtenderem, di-
ceremque non posse Numen optimū
subscribere vobis ipsis, quia non tan-
topere forsitan in illo, quam in nihilo
spem suam collocat. Hæc enim com-
munis prope multorum nequitia est,
ut in nullo minus, quam in Domino
Deo confidant. Si queratur quispiam
de causa & lite potentis cujuspiam
quam sit spes boni exitus? illico re-
ponitur, optima. Pollet enim gratia,
valet autoritate, habet judicem sibi
addictum, advocatum omnibus aliis
superiorem. E contra petatur de alteri-
us cujuspiam miseri præensione quid
sperare queat, tanquam desperatus di-
vinæ tutelæ committitur; Deus illum
juvet. Sic si alter percontetur de virgi-
ne opulenta, speciosa, num brevi spon-
sum habitura? Utrique responderetur, est
enim dote prædives, præstat excellen-
tioribus, est prudentia, vultusque ele-
gantia spectabilis. Et quid, urge, senti-
at de illa paupere ruffa, aut æthiopissa?
Illam dicet Domino Deo commenda,
subveniat illi Deus; quasi oecinat, non
habet quod speret. Hoc ipsum pro-
nuntiamus de infirmo, dum ejus mor-
bus videtur incurabilis, tunc enim tri-
tum illud repetitur: Deus illi subveni-
at, actum est. Quid igitur mirum si re-
pulsam patimur, qui spem nostram
non in Domino, sed in famula creatu-
ra, non in ipso Deo sed in nihilo repo-
nimus; non divino, sed humano niti-
mur auxilio, potentia, gratia,

§ II.

Pars altera Propositio.

VII. Alterum membrum, seu pars
Orationis politicæ est Propositio, in
qua Orator quid dicturus sit instituit.

Ad hanc rite concipiendam infor-
mat nos divinæ Sapientiæ Magister
dum ait *si quid petieritis*. Etenim D. *In oratione
qui d peten-
dum.
Aug. h. l.*
Augustino interprete Christus Domi-
nus hoc verbo usus est, quo nos doce-
ret, non nisi cælestia in oratione pe-
tenda, quæ verè essentialiter quidquam
sunt; non verò terrena, quæ non nisi
meræ illusiones, imposturæ, vanitates,
& inania phantasmata. Sunt nimirum
cælestia entia vera, & realia, ut Philo-
sophi loquuntur, terrena verò & mun-
dana entia rationis & fictilia. Illa sub-
stantiæ veræ, hæc accidentia mera.
Hoc videtur idem Magister veritatis
insinuasse, quando ait: *Quærite primum
regnum Dei & justitiam ejus, & hæc om-
nia adjicientur vobis* q. d. Prima vestra
intentio dirigatur ad cælestia, spiritu-
alia gratiamque divinam promeren-
dam; cætera tanquam accidentia quæ-
piam necessitate quapiam consequen-
tis ex illorum substantia evenient vo-
bis.

Hoc ipsum in hodierno Evangelio
manifesto edocuit quando cuncta
certò, hilariterque daturum Patrem
est pollicitus, quæcunque salutis suæ
curandæ studio ab illo in nomine suo
postulassent: *Si quid petieritis Patrem in
nomine meo, dabit vobis*. Nam mox sub-
texuit: *Vsq̄ modo non petistis quidquam
in nomine meo*. Non quod omnino ni-
hil

hil postulaverint, (petiit enim Joannes, & Jacobus ut unus federet ad dexteram, alter ad sinistram, petierunt ut descenderet ignis de cælo, petierunt alia cæteri Discipuli) sed quod hæc nihili æstimanda sint. *Quia in tanta rei comparatione quidquid aliud concupiscitur nihil est,* ait S. Augustinus. Terrena eatenus rogabant Apostoli, Christus verò cælestia ex se à Patre suo rogari volebat. Et quoniam tantum est inter ea discrimen, ut terrena, si cum cælestibus componantur, nihil videantur, quantumvis intuitu & æstimatione humana, maxima putarentur; eapropter dixit eos nec quicquam eos ad illum diem petiisse; ut intelligat quisque qui animum suum addicit his rebus terrenis, quam malè collocet suum amorem, dum iis sese pascit, quæ aut nulla sunt, aut brevi in nihilum reditura.

VIII. Ut itaque lepida, nugatoria, vel etiam perniciosa esse solet oratoribus mundanis. Oratio de floccis, hircocervis, aliisque vanitatibus suscepta: ita non minus spiritualibus precibus non nisi ad impetrandum temporalia, caduca, momentanea directæ.

Rachel Jacobi Patriarchæ uxor, tanto proli habendæ desiderio tenebatur, ut honestatis propemodum limites egressa, sterilitatisque impatientissima marito dixerit: *Da mihi liberos alioquin moriar.* His congruæ aliæ ad superos mittebantur quærelæ, quibus tandem annuere visi, gemina prole eidem concessa. Verumtamen gaudium hoc perbreve, nimiaque conditum amaritudine extitit, cum in partu alterius filii, nempe Benjamin, qui ideo

audiit Benoni, id est doloris filius, exspiravit.

Nec multo melior fors extitit Rebecæ matronarum sui temporis facile principis, liberos & illa enixè à Deo postulavit, at cum jam in prægnantis utero gemini decertarent, seseque mutuo calcibus colliderent, voti quadantenus prænitens, dicebat tristis: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere?*

Quod Rachel, quod Rebecca idipsum quâ degimus ætate sideratæ matres, patresque, alique stulti mortales expostulant; quorum plerique invito cælo, ac repugnante natura ea petunt, quæ interitum, ruinamque non corporis duntaxat, sed animæ sunt allatura.

IX. Vulgatissimus ex hoc capite est calus Eulogii patriâ Bizantini, natione, Græci, arte Latomi. Hic pium in morem induxerat, ut quidquid mercedis à tenui victu illi superesset, id in egenos erogaret. Comperta probè hæc pietas, liberalitasque extitit Danieli Eremitæ, quem per sepe hospitem pro sua tenuitate lautissimè habuit. Gratificaturus itaque Mœcenati suo, à Deo meliorem, pinguioremque fortunam exorat. Et annuisse brevi precibus visum est Numen, quando eundem inter rudera potiri thesauro fecit locupletissimo. Hic putabitis laxius jam aperuisse sinum egentibus, latius suum habuisse apud Deum exoratore, munificentiore se exhibuisse in Superos. Quantum enim increverat flumen opulentia cælitus dispensata; tantundem diffundi, exonerarique in valles depressas paupertatis parerat. Justum, ut qui thesaurum gra-

Gen. 25.

Baron. An-
no. 528. sub
justiniano
causis. Et
alii
Eulogii ca-
sus

August.

Preces eam
irrita.

Gen. 30.

mi.

tuito possedit de cœlo, eundem grata illireferret, reponeretque vicissitudine. Verum enim verò perrarus ille est, cui aurum auferat cœlum; perrara pecunia citra laborem parta, quæ non peperit iniquitatem. Armillas & torques ab Ægyptiis ereptas traduxere in Eremum Judæi, & mox ex auro facillè parato monstrum prodiit, vitulusque conflatus est. Haud secus Eulogio evenit. Mox enim accepto ille auro, aulam Justiniani Cæsaris adiit, eique bellum adversus Persas moventi militarem spondet operam, fit tribunus, fit superbus avarus, oppressor pauperum, dissolutus, Dei, salutisque suæ immemor. Monetur à S. Daniele, sed monitorem probris, contemptuque oneratum abigit. Brevi deinde cum duobus Principibus imperii Hypatio, & Pompeio in Cæsaris necem conjurans, à Procalo Tribuno proditur, honoribus, opibusque exiit, conjicitur in vincula, demum capitis damnatur. Oranti sub hæc S. Danieli apparet Angelus, edisserit calamitatem, pœnitentiamque Eulogii, jubet Cæsarem ocis adire veniam, vitamque illi exoraturum. Accurrit in urbem Daniel, & placato Cæsare Eulogium secum in cremum ad vitam pristino virtutum exercitio excolendam abducit. Sic qui secunda opulentaque fortuna prope perierat, sinistra, desperataque sibi reditus est.

X. Illustrabit idipsum Poëtæ veteri apologo, in quo narrant Regem Phrygiæ Midam auri sitientissimum à Diis petiisse, ut quidquid contractaret, omnique in regno suo nasceretur è terra probatissimum aurum esset; & ut Vates occinit:

Effice quidquid.

*Corpore contigero saluum ver-
tetur in aurum.*

Ovid l. 2.
Metam.

Nec difficiles fuere Diis, subscribere votis paulò post deplorandis? Nam cum omnis terra partus omne pomorum, olerum, frumentorumque genus, verè aureum sæculum reddidisset, ingens oborta fames, stultissimum votum publicè damnare coegit; Deos, Deasque omnes obtestari, restituerent regno fructuosam paupertatem, hostibus elargirentur tam infelicem opulentiam. O quot ejusmodi Midæ etiamnum inveniuntur, qui grandibus votis suum sibi accersunt exitium. O quantum miserabilius interirent alii, si omnium preces exequeretur Numen.

XI. Et tamen quantum ferventiùs instamus apud Deum pro metallo coacervando; qua pro gratia amplificanda; quanto sollicitius petimus salutem corporalem, quam spiritualem; quantum studiosius pro possessionibus terrenis, quam pro cœlestibus consequendis anhelamus? Rogabat Samuelem Saul, quatenus Deo supplicaret, ne regno privaretur, solioque deturbaretur; idque tanta importunitate, ut pallium ejus apprehensum dilaniaret; verum ut delictorum veniam consequeretur, nec mentionem quidem intulit. Suppari ratione bene multi alii magno animi ardore, vehementiaque dignitates, possessiones, gaudia terrena efflagitant, de gratia, empyreisque bonis obtinendis, ne in minimo quidem solliciti.

Nz

Ne igitur ridiculi Oratores inveni-
amur totum pondus orationis, inten-
tionisque nostræ ad expetenda tempi-
terna bona impendamus, vel si quidpi-
am ex his transitoriis caducisque rebus
petere necessum fuerit, id totum cœle-
stium arbitrio permittamus; qui & tri-
buere bona ex facili solent, & eligere
aptissima norunt.

Præstitit hoc supplex ille de quo
Alphonsus Salmeron, qui Alphabetum
in templo orare solitus, petendo Do-
minum quatenus jungere literas dig-
naretur, sibi que id indulgere, quod
nosset sibi magis necessarium. Æmu-
lemur eundem, & cum sæpe sæpius ig-
noremus, quid petamus, totum dein-
ceps divinæ Bonitati, Sapientiæ, ac
Providentiæ consignemus, voluntatem
nostram cum divina in omnibus con-
formantes.

§. III,

*Pars tertia orationis sacræ Confir-
matio.*

XII. Pars Orationis profanæ tertia
est Confirmatio in qua propositio ad-
ductis rationibus probatur ac suade-
tur. Tangit hanc partem in eodem tex-
tu divinus Professor, cum subdit, *in no-
mine meo*. Nihil enim æquè potens &
efficax ad inflectendum in vota nostra
Patrem cœlestem, atque nomen Filii
ipsius, merita ipsius, sanguis ipsius,
Tunc oratio maxime mensuram suam con-
sequitur, cum a rubedine colorata est, qua
sic anigma sanguinis illius, à quo redempti
sumus: ait Gregorius Nissenus. Tunc

*Oratio me-
rito Christi
est efficax
Greg. Niss. h.
15. in Cano.*

orationes nostræ sunt acceptæ gratæ
que Domino Deo, quando Chri-
stum Filium ejus induci prosternimur;
tunc efficaces, quando suam boni-
tatem, pondus, substantiam ab eo-
dem mutuant, inque illis ipse Pa-
trem suum æternum veneratur, no-
bisque mercedem, gratiamque eme-
retur. Tunc quemadmodum na-
tura humana per hypostasim Verbi
est sublimata, ita quadantenus pre-
ces nostræ attolluntur, dignifican-
turque. Quid igitur mirum hoc
pactò Patrem æternum facilius com-
moveri, inflectique ad indulgen-
dum quod petimus, ac relaxandum
quod deliquimus.

XIII. Rex Molossorum osten-
surus valorem, dignitatemque filii
sui, nec quicquam denegabat vel
fimbriam illius contingenti, mortis
reus vita donabatur, fugienti asylum
penes eum aperiebatur, egenti opes
dispensabantur, inimico, dissidiis
compositis, amicitia regia offereba-
tur; in omnibus securitas, & salus e-
rat contractus illius. Et numquid
minus merebitur dignitas Filii Dei?
An non omnia Pater cum Filio do-
nabit, qui pro nobis illum ipsum
tradidit in montem, eamque acer-
bissimam.

XIV. Rediit ignotus in lacerna ad
patrem S. Alexius eumque obtectatus
est per amorem filii peregrinantis: *Ser-
ve Dei benignitatem exerce in me paupe-
rem, ut de micis mensæ tuæ comedam, &
Deus benedicat tibi, & si qui tuorum pere-
grinantur, Deus reddat tibi eos incolumes.*
Quibus auditis ex templo Pater
E e Euphe-

*Alexii cur
proces-
ficaces
Surius in
Vita
17. Julii*

Euphemianus recordatus filii sui Alexii, velut etiam peregrini, & parentum, propinquorumque ope destituti, recepit eum in domum suam, commendavitque uni famulorum suorum. Ergo si & nos pauperes, rogemus Deum amore Filii ipsius, qui & ipse propter nos pauper, & egenus factus est, quid non impetrabimus?

XV. Filii Jacob quo veteres injurias oblitterarent, atque à Josepho fratre Aegypti totius vicario veniam commissorum obtinerent, in Patris eum nomine obtestati sunt, veterum ut injuriarum oblivisceretur, nec ultra de ultione sumenda cogitaret: *Pater tuus praecepit nobis antequam moreretur, ut haec tibi verbis ipse diceremus: obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitia, quam exercuerunt in te, q. d. Siquidem indigni sumus ut gratiam facias omnium, quae impiè nefarièque in te commisimus, attende ad patrem tuum dilectum, ejusque, cujus & nos filii sumus, & ex cujus ore te rogamus, amore, veniam concede. Pari modo nos eum plerique indigni sumus qui audiamur propter nos, rogemus Patrem nostrum caelestem, ut audiamur amore filii ejus, qui Pater fraterque noster fuit, sicque nos orare jussit: *Dimitte nobis debita nostra.* Videnter omninò fratres Josephi confinxisse preces illas, quasi ex ore Patris acceptas, siquidem Jacob jam expertus Josephi erga fratres suos benevolentiam, non dubitabit de constanti ipsius clementia, alioquin ipsemet vivens pro illis intercessisset; nec poterat non olfacere fraudem hanc, Josephus, siqui-*

dem & ipse morienti adstitit, absque eo, cum aliis benedictione donatus est; nihilominus blandè, fraternèque eos affatus, obortis lachrymis tanquam indubiè fidei argumentis, suam contestatus est in ipsos benevolentiam. Jam si hoc Josephi fratribus suis, olim sibi tam infensis, & nunc prae metu fingentibus praestitit; quid nobis non sperandum de Deo fratre nostro si nomine Filii ipsius, qui revera nos jussit petere in nomine suo omnia, ipsum exoraverimus?

XVI. Pepercit Dominus terrae filiorum Esau, & non concessit ex ea tantum filiis Israel, quantum potest unius pedis calcare vestigium eo quod nepotes filii Isaac Patriarchae viri justi extiterant; Connivebat Moabitibus, inhibuitque adversum eos praelium, siquidem à filiis Lothi descenderant. Pepercit aliàs saepe Judaeis deficientibus à legitimis Patrum suorum, & non parceret nobis nepotibus immò & fratribus dilecti filii sui, qui virtutem suam meritaque interponit ultroque resignat, & Patri aeterno pro nobis offert?

XVII. Quotiescunque igitur os nostrum ad orandum aperimus, vel oculos in caelum pia intentione attollimus, Christum tanquam sequestrum interponamus, & per ipsum, tanquam Patri dilectissimum, tanquam nobis addictissimum, tanquam de utrisque meritissimum petamus, & obtestemur. Imitemur Ecclesiam Matrem, & cum ipsa in nomine Jesu omnia nostra opera, petitionesque obfirmemus; *Per Do-*

Deut. 2.

Col. 3. 17.

minum nostrum Iesum Christum. Audiamus id ipsum nobis in Colossensibus graviter inculcantem sanctum Paulum : *Omne, quodcumque facitis in verbo & opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Ita orationes nostræ, actionesque & pondus ad persuadendum, & gratiam ad impetrandum obtinebunt.

§. IV.

Conclusio Orationis.

XVIII. Coronat denique Orator profanus orationem suam, per brevem enumerationem, (quæ vulgo recapitulatio vocatur) dictorum gravioris momenti; amplificationemque, qua

tota causa in confirmatione probata, & amplificata, rursus breviter resumitur, vehementiusque proponitur.

Ad eundem modum suam orationem concludat cœlestis Orator necesse est, & si forte per infirmitatem corporis, animique languorem, minusque attentum in illa exhibuit, in fine vehementius instet, affectuque deceret.

Hac methodo si orationem nostram composuerimus, instituerimusque confidamus fore, si nobis proficuum, ac salutare fuerit, nos obtenturos, quidquid in nomine Domini petierimus. *Fiat gratia tua, meritisque Christe Iesu.*

